



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm V. Qui generaliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

tus sit, ea quæ dicta sunt, præstare potest, vt i
dixi in c. 2, de suppl. negl. Prælat. in 6. & in c.
contingit, 3 in fine, extrâ de transact. & do-
cet Bartolus in l. mandato, 60. ff. de pro-
curat. Quare procurator ad lites, cui insu-
per libera causa administratio commissæ est,
transigere etiam aut compromittere poterit,
vt etiam indicatur in l. procurator cui, 58.
ff. eod.

Similiter dicendum de procurato-
re ad negotia generaliter constituto, quod
alienare & transigere absque speciali man-
dato non possit, vt hoc c. indicatur, & ha-
beatur in cit. l. mandato, & l. procurator to-
torum, 63. ff. eod. Si autem libera bono-
rum administratio data sit, tum omnia facere
potest; præterquam quod donare non possit,
vñ dixi in cit. c. 2, de suppl. negl. Prælat. in 6.

CAPITVLVM V.

Qui generaliter.

Qui procurator ad negotia generalis
constitutus est, is etiam agere, ac defen-
dere in iudicio potest; exceptis casibus, qui
mandatum speciale requirunt. Hos specia-
les casus Gl. recenset in c. præced. ver. vel
pacisci.

NOTANDVM Vn. Procurator consti-
tutus ad omnia negotia, censetur etiam con-
stitutus ad agitandas causas in iudicio; cum &
hæc negotia quædam sint. Sed non vice versa,
constitutus procurator ad causas iudicia-
rias, alia etiam negotia domini expedire
potest. Cum mandatum extendi non de-
beat de causa ad casum, l. si procurator, 10.
C. eod.

§. Nendum.

Filius fam. absque patris consensu procu-
rator esse potest non tantum ad negotia,
sed etiam ad iudicia. Hac de re dixi in c.
penult. not. 1. hoc tit. in antiquis.

§. Licet.

Procurator ad iudicia constitui non por-
est, nisi maior xxv. annis: Sed procu-

ratori ad negotia sufficiat anni xvii. com-
pleti. Hac de re dixi lib. 3. Theol. moral-
tr. 4. c. 26. n. 7. §. Procurator.

CAPITVLUM VI.

Si duo.

PARAPHRASIS.

Si duo Procuratores simul constituti sint
simpliciter, vñus sine altero admitti non
debet: Secùs vero est, si vterque in so-
lidum deputatus sit: tunc ille præferen-
dus est, qui causam per litis contestatio-
nem præoccupavit: Ita vt alter se postea
immiscere haud possit; cum ille domi-
nus litis effectus fuerit. Quod si vero in
mandato adiectum sit, vt occupantis me-
lier conditio non sit, hæc clausula saltem
id operabitur, vt si illum mori, abesse,
aut morbo aliæ ratione impediri con-
tigerit, alter causam inchoatam assumere
& perficere possit; præterquam si alium
sibi procuratorem substituerit, is enim
præferri debet.

SUMMARIUM,

*S*i duo procuratores super eadem causa su-
cessivè constituti sint, posteriori consti-
tuto censeri debet revocatus prior. Si si-
mul autem sint ambo constituti & sim-
pliciter, ambo admitti debent, ita vt
vñus sine altero nil efficiat; si vterque
in solidum, tunc uno per litis contesta-
tionem præoccupante, alter omnino ex-
clusus est, nisi clausula in mandato con-
tentâ vñus præoccupationi, & alterius
exclusioni præjudicet.

Si duo procuratores super eadem causa,
seu lito constituuntur, ita distingue: Vel
simul constituti sunt, vel non simul. Si hoc
secundum, posteriori in eadem causa designa-
to, censeri debet prior revocatus, c. si quis,
3 i. §. Julianus, ff. eod. Idque locum haberet,
tamq; si posterior mandatum non suscepit,
H h h h h 2 secun-